



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Lib. XIII. Argumentum. Protesilai, intimi amicorum Regis, & Timocratis
perfidia. Philoelis, Purpuratorum optimi, casus, eiusque post casum
vivendi ratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

TELEMACHUS.

LIBER XIII.

IAmque dissipati de moderato placidoque Idomenei imperio rumores adeo nonnullarum gentium excitabant fiduciam, ut turmatim concurrantes, in civitatem eius peterent adscribi, fortunam suam experturi tam bono domino. Iam illa quoque spinarum pervetusta seminaria spem opimæ messis faciebant, frugumque, quas tum primò didicerunt gignere. Parabat vomere diffracta tellus pingue labori præmium. Bona non minus quam illustria futuri argumenta ubique advertabant oculos. Quippe & per valles editosque colles diffusi ovium quæ adulti quæ iuniores greges, qui frequenti per herbas saltu dabant agreste spectaculum; & in præaltis montibus armenta, quorum sua quæque voce iugisque repercusso sono nova sibi pascua gratulabantur.

Ceterum bonitas agrorum promota ex ipso, quod pascebant, pecore; cuius quidem comparandi rationem Mentor invenit. Suadebat scilicet Idomeneo, ut quæ Salenti redundarent ob interdictum eorum usum, traderet vicinæ Peucetiorum genti pro pecoribus, quorum inopia Salentini laborabant.

Urbs item & quæ ad eam pertinebat vicinia, egregia iuventute cæpit abundare. Hæc quippe diuturna calamitate maiorisque metu incommodi huc usque absterrebat ab ineundis connubiis. Sed cum videret Idomeneum posita severitate novo ritu mitescere, neque tam agere regem, quam

patrem; nihil deinceps formidinis aut à fame aut ab iis erat malis, quibus ira Deorum solet in mortales animadvertere. Itaque hinc clamor lætantium, hinc pastorum ruricolarúmque hymenæi complebant feliciter mutatum imperium; speciésque erat Panem cum Faunis & Satyrorum choro Nymphas ad tibiæ numeros umbratilem in orbem ducere. Nihil hìc turbulentum, nihil alienum à lætitia, quæ per omnes ordines ea moderatione vagabatur, ut non dissolvendis animis, sed relaxandis à diuturno labore videretur concessa. Unde non strenuior, quàm purior fuit.

Qui graviores iam annos agebant, ut in extremum vitæ suæ viderunt incidere, quæ longa ipsorum ætas ne tenui quidem spe libare umquam sustinuerat: admiratione & stupore defixi ibant in tenerrimas lacrymas, tendentésque ex senio vacillantes manus precabantur: Propitius esto, magne Iupiter, regi, qui similis tui est, maximúmque ex tuis in nos donum. Datus est saluti hominum. Profit igitur ipsi, quantum ipse prodest nobis. Nascituri ex toris nostris, quibus ipse favit, nepotuli pio huic regi debeant omnia, & ipsum ad eò nascendi beneficium, ita quidem, ut is re ipsa omnium suorum futurus sit pater. Hæc senes. Iuniores autem regio favore promoti ad thalamum, perpetuo cantu (quippe unico monstrandi gaudii subsidio) auctorem huius voluptatis suæ celebrabant. Numquam passi ex ore abesse illius nomen, tantum abest, ut umquam dimitterent ex animo. Pars felicitatis reputabatur eum aspicere, & caput, summáque meruendorum, ne periret. Eo nempe sublato non domus,
non

non familia erat ab extremo squallore vacatura.

Tum quidem Idomeneus haud temperavit sibi, quo minùs fateretur Mentori, numquam perinde se in voluptate fuisse, atque nunc, cum populis amanti esset, & saluber tot subditis. Numquam inquit, hoc persuadebam mihi. Credidi, frustra regem dici, qui se non redderet terribilem; vivereque regis causa, quisquis non esset rex. Ridebam cum anilibus gerris, quidquid laudabatur de regibus, qui amanti, qui voluptati fuissent suis. Alia & veriora nunc credo. Ceterum haud ignorare te decet, qua ratione inde ab unguiculis perversa regiae Maiestatis opinione, unde omnium malorum meorum origo, animus meus sit depravatus. Hæc præfatus, rex, ita cœpit differere.

Protesilaus erat, ætate mihi paulò superior, quem omnium maximè diligebam. Arridebat vigor animi audaciæque eius. Consors oblectationum mearum & palpator cupiditatum, Philoclem quendam, annis & favore meo parem sibi, obiecit suspicioni. Is vero timore reverebatur Deos, animique magnitudinem sui multa prudentia modestiæque commendabat. Magnum censebat, non qui dignitate efferretur supra ceteros, sed ipse se vinceret; nec ageret, quod indignum & inferius sè. De erroribus vitiisque liberè me compellabat; & si quando id minùs est ausus, ipsum silentium eius, & quam præferebat ore, tristitia loquebantur, quæ peccaveram.

Et initio quidem mihi candor eius non displicuit; crebròque receperam ipsi, ut ab adulationibus abessem, semper vacuas aures meas integerrimisque

másque inventurum. Docebat fidelissimè, quæ agenda volenti premere Minois vestigia, & meditati salubria imperio. Sapientia eius ut decedebat tuæ: ita præcepta (id quod nunc primùm agnosco) erant simpliciter bona. Atat ea fuit Protefilai & æmuli & ambitiosi hominis calliditas, ut noverit Philoclis tædium sensim animo meo subiiere. Is nihil inde motus in inferiori amicitia meæ gradu, in quem retrudebatur Protefilai invidia, se moderatè continuit; satisque ipsi fuit, quod verum erat, paratis auribus non in commodum suum, sed salutem regis continuò occinere. Protefilaus non advertenti mihi persuaserat, Philoclem laborare morosâ superbiâ; inde licentiùs observare, quæ agerem, nihilque à me exigere favoris, ut crederetur homo esse, ad quem honorum cupido non pertingeret. Adiecitque, hunc iuvenem eadem libertate, qua me commoneret errorum, iis etiam palam commemoratis regiam existimationem offendere, quam in animo eius exolevisse satis manifestum esse; attritaque hunc in modum Principis famâ, simulatione austeræ virtutis iter ad coronam meditari.

Difficile mihi erat initiò credere, Philoclem aspirare ad regium decus. Est enim hoc non simulatæ virtutis privilegium, ut candorem suum nec simulatione patiatur æquari, nec ritè ipsum observantibus imponere. Ceterùm & constantia, qua post delicta oppugnabar à Philocle, gravis mihi cæpit esse, & Protefilai indulgentia solertiaque, infinitis oblectationibus, quæ regium animum allicerent, inveniendis abunde sufficiens, placere
usque

usque adeò, ut in comparatione huius austerum hominem vehementiùs averfarer.

Inter hæc Protefilaus iniquissimè ferens, me delectu aliquo & sapientiâ ea credere, quibûs criminabatur æmulum; de illo dehinc filere constituit, mihi que admovere arietem suada Attica potentior. Itaque hanc ille mihi splendidissimam fraudem. Suadebat, Philoclem præficerem classi, quam in Carpathios destinaveram. Id ut persuaderet: Laudem, inquit, quam ipsi tribuo, nôsti carere dolô. Fateor intrepidum eum esse, & aptum bello; tibi que ante alios profuturum. Atque istud movet, ut omnibus insuper habitis, quam in eum concepi, missam iram faciam.

Cumulabar insolenti gaudio, cum in Protefilao, maximarum rerum mearum administro, animum tam sincerum, tam æquum (quod credebam) deprehenderem. Involabam in collum eius, gestiente lætitia, reputans, meritò amplius à me deberi fortunæ, quòd maximam fidem ante alios tam egregio (ut visum) cupiditatum rerumque suarum victori habuissem. At ô miseros Principes! homini illi quàm mihi meum ipsius ingenium plùs erat perspectum. Non ignorabat, reges plerumque & suspicionibûs, & incuriâ rerum suarum teneri; suspicionibûs, quòd sciunt adesse lateri, qui decipiant; incuriâ, quòd voluptatibus impares onera sua alienos in humeros devolvunt iurati fiduciâ obsequii; neque publicis fatigari rebus volunt. Itaque ominabatur ille, facillimum sibi fore, apud me in invidiam rapere hominem, maxima moliturum; neque dubitabat ex adversarii absentia sibi occasionem premendi eius futuram.

Phi

Philocles, cùm ingrederetur viam; fati certus
 eorum, quæ sibi possent evenire: Memineris, rex,
 inquit, me deinceps accusatum iri nemine advocato.
 Qui me odit, audietur unus. Dùmque foris pro
 te periclitabor vitâ, mercedis loco timere debeo,
 ne domi tuâ periclititer gratiâ. Ego verò: Decipe-
 ris, mi bone, aiebam. Alia atque tu existimas &
 meliora Protefilaus de te. Probat te: admiratur,
 dignumque censet, quem rebus summis præficiam.
 Suspectus mihi erit, si quando obtrektor tuus.
 Pone metum: proficiscere, duntaxat sollicitus, ut
 cum fide servias mihi. His dictis ille proficisci, ego
 mirabili perversitate rerum implicari.

Equidem perspicuum mihi erat, amice, haud pau-
 cis opus esse, quos consulere, pestemque tum
 gloriæ meæ tum rerum mearum fore, si fidei unius
 duntaxat hominis me crederem. Usi etiam ipso
 didici, me Philoclis consilio multa defugisse errandi
 pericula, quæ eram incursum fastu. Neque me
 illud latebat, Philoclem tam candore animi, quam
 æquitate præceptorum Protefilao longè anteha-
 bendum. Protefilaus meâ indulgentiâ iam iam as-
 sueverat mecum æquò liberiùs, adeoque loqui cum
 imperio, ut tantum non cogerer obsequi. Per-
 molestum mihi erat continuò pari à latere duos,
 quorum sensus coniungere non poteram. His
 itaque turbis cùm exemptum vellem hunc animum,
 malui fragilitati meæ concedere, agereque, quod
 rebus quidem meis damnum; locum tamen unâ
 mihi faceret liberè tantisper respirandi. Fateor;
 tam infandam causam fuisse suscepti consilii, ut
 eam ipse mihi occulerem, neque serio unquam
 animo auderem pensare. At quod cognoscere
 puduit

pudivit animum, non pudivit fequi. Hoc quippe omnino ad omnia, quæ deftinaveram, impulit.

Philocles ad internecionem cæfis hoftibus, ut maligna Protefilai confilia celeritate præverteret, maturabat adornare reditum: Cùm ab æmulo, cui nondum aptum fe tempus præbuerat me decipiendi, litteras accipit, nunciantes, petere regem, ut facta exfcenfione in Carpathia, utiliozem redderet victoriam. Et fanè perfuafit mihi Protefilaus infulam nullo ferè negotio poffe obtineri. Interim eum tenuit modum agenda rei, ut Philocles magnâ rerum neceffariarum laboraret inopiâ. Mandatis item onerabat eius generis, quibus magna bello difficultas afferebatur. Interea erat ex meis domesticis, cuius operam conduxerat, homo perverfiffimi animi, nihil non Argi ex more obfervans, perferutansque, ut perferret ad eum, cui fidem fuam vendiderat; etfi ambo hi homines rariùs loco, animis nunquam viderentur convenire.

Timocratem appellabant. Fortè monebar ab eo fecretiùs, quàm (quod aiebat) ab ullo amicorum; formidolofa effe, quæ cognoviffet. Philocles, inquit, claffe tua uterur, Carpathiæ ut imperet. Duces copiarum in partes fuas traxit: gregarios fibi devinxit donis & indulgentia vitiorum. Tumer victoria. Ecce tibi litteras (nam & has tum proferebat) quibus amicum docet, animò deftinâffe fibi imperium. Manifeftum perfidiæ argumentum eft. Dubitare non licet.

Legebam litteras; & videbatur Philoclis manus. Sed eam Protefilaus & Timocrates adulteraverant, fimilitudinem eius penitus affecuti. Quibus ego monftris incredibiliter perturbari: iterum iterumque

rumque recurrere ad epistolam. Imperare mihi non potui, ut crederem, Philoclem scripsisse, recolente turbulento animo insignes notas, quibus à fordido & ancipiti ingenio testabatur se abesse. Sed quid tunc ego consilii? quâ resistere litteris, quas à Philocle non dubitabam venisse? At Timocrates, ut vidit tutò latere strophæ suæ initia, liberumque iam esse grassari fraudibus, maiores fallaciæ offufurus tenebras, præmissa specie animum in diversa agentis: Si pateris rex, inquit, indicabo non nihil, cuius hæc pagina admonet. Scribit amico Philocles, posse illum cum Protefilao de re secretò agere, quam incognitis notis texisset. Quis dubitat Protefilaum cum Philocle esse in eodem consilio, amicitiamque instaurâsse tuo ipsius detrimento? illum non ignoras omnem movisse lapidem, ut Philocles mitteretur in Carpathios. Interea temporis suæ in eum temperavit dicacitati, qua alioqui oneraverat aures tuas. Quin oblata opportunitate in laudes eius excusatiunculâsque perstudiosè excurrit. Aliquamdiu nihil humanius utriusque congressu, officiosius nihil. Occultè inter se (quid dubitas?) constituerunt dividere occupatæ Carpathiæ Imperium. Ecquid vides, dum voluit non abiri ab hoc proposito, totius rationis disciplinæ quantumlibet inimico, classem tuam exponere præsentissimo discrimini, ne quid ambitionis suæ interciperet cursum. Nisi inter eos essent sublata odia, Protefilaum credis famulari velle impio Philoclis desiderio? Omitte, quæso, & noli porro dubitare, ambos eo consilio rediisse in amicitiam, ut ad vires, quas etiam potentior metuat, & nescio, an non etiam in solum hoc tuum eluctentur. Scio,

R

nisi

nisi candor hic meus te moverit, ut viribus & potestate tua exutos reiicias, eorum vindictæ me obiici: sed porro ad me istud non pertinet. Satis mihi est, id, quod res erat, dixisse.

Magnam vim ultima Timocratis verba habuerunt. Desinebam timere, proditionis damnare Philoclem, cœpique Protefilaum suspectum habere, addictumque proditori meo. Interea monere Timocrates non destitit: occupata Carpathia non esse, quæ Philoclis iniici consiliis possit, moram. Tuberem comprehendi, dum facultatis adhuc esset meæ. Tota cogitatione averfabar tantæ simulationis scelus, frustra que apud animum meum exquirebam, quem in arcanorum meorum societatem deinceps adlegerem. Quippe proditore Philocle, audebam de fide universi humani generis dubitare. Statutum erat, primo quoque tempore locoque ab usura lucis amoliri monstrum tantæ perfidiæ. Sed eâ constantiâ susceptum consilium ipse à Protefilao timor suspendit. Verebar tam ut insons esset flagitii, quàm dignus, cui vel apicem arcanorum meorum deinceps aperirem.

Vicit tandem perturbatio consilium, effecitque ut significarem eidem ipsi, esse, cuius Philocles mereatur notari. Tum ille demonstrare eius mores tam bonos, tam expertes pravi desiderii: celebrare obsequia: nihil demum omittere, quod mihi suam amborum persuaderet concordiam. Neque Timocrates distulit, me pluribus argumentis de consensu eorum convincere, hortarique, dum liceret per tempus, Philoclem privarem vitâ. Hem miseros reges, qui ubi contremiscunt eorum pedibus advoluti populi, vel tum trepidare fortem debent

debent- & vereri, ne populorum ludibriis obiectentur.

Haud ambigebam, fore illustrissimum ex politici moris ratione facinus, ingensque momentum ad infringendos Protefilai conatus, si Timocrati ad classem occultè ablegato negotium darem occidendi Philoclis. At Protefilaus, quantum potest humanum ingenium, fallebat; & me quidem eò faciliùs, quòd credebam, non nisi inconditè, præposterè, monstrosèque posse iudicari eum hominem esse, qui ignorare non valeret se decipi. Iamque Timocrates se dederat in viam; & fortè Philoclem æstuantem negotiis turbisque offendit, dum exscensionem molitur in insulam. Omnia quippe & singula deerant tanto negotio. Protefilaus enim adhuc incertus, fictane litteræ inimico suo essent allaturæ exitium; huius promovendi aliam præterea rationem putavit tentandam, sitamque in eo, ut quod ipse tanta spe auxerat, malè cederet maritimæ expeditionis consilium; quo factò æmulus non posset offensam meam subterfugere. Ceterùm tantæ molis bellum Philoclestum invicta animi magnitudine, tum viribus acerrimi ingenii, tum eximia, qua milites eum complectebantur, charitate strenuè fortitèrque gessit. Et quamquam manifestum erat militi, classem ad insulam sine insigni temeritate periculòque Crentensium non posse admoveri: tamen non secus, ac de vita reque singulorum ageretur, ab omni exercitu est allaboratum, ut secundis rebus tentaretur exscensio. Iucundum cuique videbatur prompto paratoque semper animo subire discrimina duce tam provido, tamque sollicitæ humanitatis in singulos.

Ultima profectò metuere Timocrates debuerat, cùm tantæ multitudini caput tantopere dilectum satagebat eripere. Sed cæca est, furere cùm cœpit, ambitio. Nihil Timocrati grave, nihil molestum nimis, ut Protésilao placeret, quocum sibi, ut crediderat, supremam potestatem meî pollicebatur extincto æmulo. Protésilaus certè ferre non potuit virum adeò integrum, qui sceleratam conscientiam eius vel solo castigabat aspectu, omniâque consilia poterat me salubriter admonendò perturbare.

Erant Præfecti duo, perpetuò agentes cum Philocle. Horum operam sibi Timocrates obstrinxerat, donisque ingentibus à me tribuendis pellexit in scelus. Tum Philoclem moneri curat, afferre se arcana à rege, quæ ipsi oporteret significari: arbitrum præter istos Præfectos rei magnitudinem non pati. Quibuscum ubi est ad interiora diversorii recessum: ecce Timocrates hastam infligit Philocli; at leviori, quam destinaverat, vulnere, in vanum lapso ferro. Ille nihil his perterritus simul arma extorquet proditoris manu, præsens adversus auctorem sociosque sceleris, auxilium; simul edito clamore accurritur: perfringuntur aditus: Philocles liberatur, in quem unum tres illi segniorum ob consternationem impetu irruerant. Comprehenduntur, discerpenti protinus (quæ erat multitudinis indignatio) nisi efferatum militem imperator ipse repressisset. Timocratem deinde seorsim acceptum modestissimè causam interrogat, quæ eum impulisset, hæc ut pertentaret nefanda? protinúsque ille, metuens, ne silentio afferret sibi exitium, tabulas exhibet, quibus imperabatur, ut Philoclem cæderet. Neque tunc (ut
pro-

proditioni semper propria trepidatio) aliud cogitabat animo, nisi ut simpliciter prolatis, quæ à Protesilaò intendebantur, vitæ suæ consuleret.

Cohorruit Philocles, cùm intelligeret, quantum malitiam humanæ mentis recessus & latebræ occulerent. Moderatione tamen in hoc articulo rerum censebat utendum. Timocratem itaque non modò in concione pronunciat innoxium, & ne mali quid pateretur, curavit in Cretam referri; sed & Polimeni tradidit imperium, quem occiso Philocli in epistola substitueram; admonitisque copiis fidei, quam deberent mihi, leviolem scapham de nocte conscendit, à qua in insula Samo expositus vitam tenuem, solitariamque, ceterùm remotam à turbis, nunc agit. Quippe ex statuaria alitur, omnemque de exemplis perfidiæ mentionem & de regibus longè maximè aspernatur, utpote quos & patiendi miseria, & cæcutiendi voluntate putat ex omnium mortalium genere deterrimos.

Amplius dicturo Idomeneo hîc Mentor interposuit: Num ignorâsset diu, sibi imponi? Negabat Idomeneus; &: Paullatim, inquit, utriusque fraudes fensî. Ipsi turbabant sese. Quippe gravis est pravitati concordia. Amborum denique simultas omnino aperuit, inquam detruferant me, abyssum. Eho! improperat Mentor! negligebas igitur & hunc & alterum tua dimovere domo? Tûne verò (Idomeneus regerit cum gemitu) ignoras languere, trepidare Principes? actum de libertate regum est, cùm se tradidère perversis & audentioribus hominibus, qui nôrunt fraudulenter efficere, ut eorum operâ necesse sit uti. Ex omnibus illos hu-

manissimè fovent, benignissimè accipiunt, cumulant gratiis, quibus omnium maximè viluerunt. Abominabar Protefilaum: permittebam tamen perseverare in imperio, pristinaeque grassari dignitatis loco. Imò (quod stupendum) gratulabar mihi, nosse artes hominis, neque tamen eram abrogandæ potestati eius, quam ipse olim tribuebam. Accedit, quòd commodis erat moribùs, & obsequiosâ industriâ lenocinandi anhelanti ad illicita, acerrimus denique utilitatis meæ. Et ut paucis omnia: reperiebam in eo, quod moverat, ut meæ ipsius fragilitati patrocinarer. Nimirum exulabat à me veræ virtutis cognitio; quippe qui ignorabam rebus meis peragendis operam bonorum hominum eligere; ratus neque bonos ullibi terrarum, neque fidem, nisi in monstrorum artifici cerebro reperiri. Unde ipse non semel obloquebar mihi: quid iuvat rem grandem moliri, ut liberè corrupti præsentia hominis, quo amoto necesse est tradere te in alterius manus eadem cupiditate, fraudulentia, dolo? Inter hæc classis reducta à Polimene. Neque ego obtinendæ Carpathiæ vel desiderio vel cogitatione occupabar impostero. Protefilaus autem nulla simulandi disciplinâ adeò celare dolorem potuit, quem nuncii de incolumi Philoclis in Samon fuga illi inusserant, ut notas eius deprehendere non debuerim.

Iterum interpolato sermone rogabat Mentor, comperto crimine num perseverasset Protefilao eundem in morem uti? Graviorum rerum, inquit rex, peracerbus hostis, liberique captator temporis, nolebam ab hoc homine expediri. Mutandus ordo fuisset, quem commoditati vitæ meæ aptaveram,

ram,

ram, instruendusque alius negotiorum meorum
 administer. Id autem ut agerem, numquam indu-
 cere in animum potui. Libuit ergo cæcutire, ut
 ne viderem quidem, quæ à Protefilao gerebantur
 cum fraude. In eo duntaxat summa versabatur mei
 solatii, ut significarem quibusdam amicis, non
 ignarum à Protefilao me falli.

Credebam altero tanto minus me decipi, quòd
 decipiebar sciens. Per intervalla quoque faciebam
 Protefilaum intelligere, se mihi gravem esse. Non
 rarò volupe mihi erat, dissentire ab eo: quæ egis-
 set, castigare palàm: pluribus de rebus aliud atque
 ille ferre iudicium. At satis gnarum inertiae meæ
 adeò Principis offensa non deterruit, ut pertina-
 ciùs etiam mihi insisteret. Aliàs severitatis fervore
 importunior, aliàs præferens modestiam, lenitu-
 dinemque captare gratiam adnitentis. Sed longè
 acerrima cogitatione tum, quando amariorem me
 advertibat sibi, novas temporis mihi fallendi scru-
 tabatur artes, easque præcipuè, ex quibus necesse
 erat me aut deterius mollescere, aut eo implicari
 incommodo, quod locum ipsi faceret, operam
 mihi navandi, quam alius præstare haud posset,
 quantumque rerum mearum fatageret, multa præ-
 dicatione efferendi.

Quamquam autem magnopere ab homine ne-
 fario mihi cavebam, abripiebar tamen identidem
 mirabili eius modo cupiditatibus meis blandiendi.
 Ille me solari, cum turbabar. Ille maiestatem, ille
 potentiam meam, qua malè in rem suam utebatur,
 omnibus reddere terribilem. Paucis: animum in-
 ducere non potui, ut ab aula eum relegarem. Id
 ipsum autem, quòd foveretur à me, effecit, ut, quæ

ad salutem meam omnino pertinebant, de iis nemo bonus auderet loqui. Ex eo itaque momento torpebat liberè sentiendi facultas in curiis. Arcebatur à me veritas. Occupatum erroribus iudicium, quod ruinam parat Principibus, ulciscebatur in animo meo immolatum nefariæ Protefilai ambitioni Philoclem. Qui hæctenus tum imperiorum mihi studuerunt præ cæteris, arbitrabantur, per ultimum nefas tanto viro extincto, à se deinceps exigi non posse, ut saniora suaderent regi. Quid? quòd ipse timui, ne discussis fraudum nebulis per adulatorum cuneos, frustra renitentes, se veritas in oculos meos ingereret. Timui, inquam: quoniam odio mihi erat lux veritatis, quam sequi haud amplius poteram; prævidique vulnera, quæ illatura fuit conscio animo, quin tamen integrum erat futurum exire, quibus tenebar, nefandis vinculis. Genus quoddam desperationis omnino renuntiantis libertati erat, quo involvebar à voluptate ereptaque potestate mei, in quam sensim Protefilaus irrepserat. Tantam ergo miseriam meam nec ipse volebam scire, nec sciri ab aliis. Nôsti; perdilecte hospes, quam putida per-versaque æstimatione dignitatis suæ imbuantur etiamnum tenelli regum animi. Nolunt unquam errasse. Peccant iterum centies, ne credantur peccasse semel. Malunt circumveniri semper, quàm fateri, esse, quod semel iudicaverint perperam. Satiùs denique credunt, in errore perseverare, quàm se ab eodem expedire. Atque hæc est conditio sine vigore, sine cura vitam agentium Principum, & ipsius quoque Idomenei, cùm solvendum erat in Phrygiam.

In-

Ingressurus iter, Protefilao tradidi imperium; quod ille post discessum meum arbitrio suo superbe & avarè exercuit. Perferebat Creta tyrannicos mores eius cum gemitu. Quàm malè haberentur mei, scribere nemo sustinuit. Palàm omnibus erat, me timere reddi de vero certiolem, permittereque crudelitati ipsius Protefilai, qui auderent de eo deterius loqui. Augebatur itaque significandi metu subditorum calamitas. Cogebam insuper eo suadente proscribere Marionem, illustre caput, ingensque mihi ad Pergama auxilium; ex quo ipso in Protefilao flamma invidiæ, qua concitabatur in omnes scilicet, quos ob argumenta non nullius virtutis diligebam.

Fuit hæc (quod credere te, amice, velim) omnium meorum casuum origo. Neque enim in me concitavit Cretenses mors filii, sed Deorum potiùs ultio, sceleribus meis indignantium, iraque populi, quam in regem consciverat administri crudelitas. Ceterùm iugulato filio, imperandi sævitia aliàs fatigari Cretenses omnino abruptè patientiam, dolorque ex postremo facinore vulnus prodidit, quod iam diu celabatur in animis.

Timocrates comitabatur in Phrygiam, Protefilao diligentissimus proditor omnium, quæ secretò potuit reperire. Equidem captivum me sensi. Sed cum desperarem libertati, mittebam pensare id animo. Iam Cretensibus reditum meum armis exipientibus, primi Protefilaus & Timocrates spectabant fugam, deserturi profectò regem, nisi eadem ferè, qua ipsis, celeritate mihi fuisset discedendum. Et nonne, fodes, insolescens ex secundis rebus superbia, vertentibus iis, in pavorem desinit?

Hæret, trepidat demptô, quod exercebat, imperio. Tantò serpit abiectior, quantò antea insolentior. Non citiùs attollas oculos, quàm illa ex astris ad inferos abripitur.

Ex his rogavit Mentor, quamobrem hæc duo monstra hominum, quorum mores omnino pernosceret, adhuc secum pateretur vivere? Non miror, inquit, secutos tuam fugam esse. Melior quippe rebus suis consulendi non patebat via. Satis quoque intelligo, nihil egisse te à magnanimitatis instituto alienum, utroque eo, eùm auspicabare novum Imperium, accepto in fidem. At quid illud est, quod post tam atrocia facinora cognita in eorum adhuc potestate sis?

Ecquid nescis (Idomeneus respondebat) experientiam nullam utilem esse Principibus molliter, sine cura, sine consilio viventibus? habent, quod arguant, in omnibus; at non habent, arguenda qui corrigat, animum. Tam diuturna multorum annorum consuetudo, quo implicabar his viris, catena quædam fuit, qua adstrictus iisdem iungebar continuô. Illi, ex quo hîc ago loci, persuaserunt, ut (quod vides) in ædificia pecuniam tantam conicerem. Illi exhaustere vires orientis Imperii. Illi finitimorum odia, armæque concitârunt in me; oppressura tuo destitutum opportunè advenientis auxilio. Illi denique idem maturâssent in caput meum Salenti, quod in Creta, discrimen. At verò tuo nunc demum illustratus consilio, eò processu audaciæ (quo carebam hætenus) ut indignam servitutem à cervicibus meis eam depulsum. Et verò, quod in animo meo effecisti, ipse haud capio.

cipio. Sentio inde à tuo in hanc insulam adventu me in alium hominem abiisse.

His dictis interrogatur à Mentore, qualem hac rerum mutatione Protefilaus se daret? Qualem, rex inquit, ipsa se dedisset post adventum tuum asturia. Continuo ad ea singula progressus tentanda, quibus credebat posse mihi de te suspicionem occultè iniici; nihil coram loquebatur damno tuo. Venère autem ad me crebro, monentes cum industria, cavendum à duobus hisce advenis esse. Alter, inquiebant, proditoris (Ulyssis) est filius; alter dissimulator suus, & acerrimo ingenio, consueti ambo aliud atque aliud regnum pervagari. Quid? si cogitant de regni tui exitio. Saltem præfractè audaces sunt, & (quod affirmant) in regionibus, quas peragrarunt, auctores magnorum motuum. Hoc verò Imperium nondum adultum, nondum stabilitum, minimus quisque motus conficiat. Hæc alii.

At Protefilaus illud agebat, ut futura ex rebus tuò consiliò mutatis discrimina utcunque assequer animo. Itaque propriæ salutis me admonere non desistit. Nempe populi tui, inquit, per te si nummati magis, rerumque abundantes erunt, ad otium, ad fastum, ad mentis hebetudinem, ad novarum rerum cupidos impigrósque deflectent mores. Debilitate virium unâ, solâque miseria franguntur, imparésque fiunt laceffendæ regiæ potestati. Contendebat præterea iterum atque iterum recuperare pristinam auctoritatem, facilemque nuper meæ obsequentiam voluntatis elicere; quod propositum rerum mearum studio, & commendatione meritorum suorum dissimulabat.

Leva-

Levatis oneribus populi docebat necesse esse vires meas levare. Atque inde subditis irreparabile damnum extitutum; ut quos oporteret adversum noxias ipsis turbas servitute præmuniri.

Hæc prolixè differenti simpliciter reposui: Mansurum in officio subditum, si efficerem, amari ut debeam; nihilque præter onera remitterem ex iis, quæ ad auctoritatem meam referrentur: si item tenax suppliciorum futurus sim, quæ deberentur sceleri, neque strenuus modò in accuranda prolis educandæ diligentia, sed & acer coercendi omnem populum, ne impune abeat à simplice, frugali; & laboribus districta vita.

Aut reges, credo (ita disputabam ulterius) continere subditum non possunt, nisi inedia perimant. Quàm infana hæc civilis prudentiæ præceptio? quot gentes cernimus moderatè lenitèrque regi, quibus nihil Principi suo fidelius? ambitio & crudelitas Procerum, agendique licentia, quam in ipsos prodigimus; immoderatio cupiditatum, quibus exporrigendis metam modumque à nobis non accipiunt; hæc profectò causæ sunt tantorum in Imperiis tumultuum. Quibus adde, si aut maxima pars nobilium, inferiorumque conditione molliter, delicatè, otiosè degit; aut indigenæ, cum ab armis est vacatio, missis laboribus negotiisque necessariis, numero quàm deceat maiori sequuntur militiam. Verbò: capita defectionum sunt populorum desperatio, cum superbè avarèque ipsis imperitatur; sævitia regum & intolerabilis elatio præter vivendi mollitudinem, qua impares redduntur observandis membris singulis Imperii, ut tumultibus possint antevertere. Hæc, inquam, capita sunt de-

de-

defectionum ; non alimenta , quibus tranquillo subdito concedimus vesci , postquam ex agrorum cultu ea cum sudore vultus sibi comparavit.

Ab his ergo præceptis Protefilaus intelligens me dimoveri non posse , statuit præteritæ vitæ rationi aliam , eamque maximè adversam inducere. Cœpit nimirum ex meæ disciplinæ instituto agere , quam damnare non patiebatur ratio. Fingebat se illi assentiri ; non posse repugnare ; gratias etiam debere mihi , ex quo saniora didicisset.

Superat ille nunc vota mea desideriaque. Quippe primus pauperum advocatus ante alios eorum calamitates nunciat : de immodicis Aulæ sumptibus velut de re sua conqueritur : te ipsum (quod nosti) probat : apertè innititur tuæ fiduciæ , & superstitionis sollicitudine officii se offert tuæ eiusdem gratiæ. Timocrates verò Protefilai amicitiam minus iam colit. Imò fuit , ne parere deinceps illi debeat , cùm tentaret efficere. Unde Protefilai offensio , & utriusque simultas , quæ mihi ad cognoscendam eorum iniquitatem non otiosum suppeditavit adminiculum.

Ad hæc subridens Mentor : Tam incredibiliter ergo delumbatis viribus eras , ut tot annorum tyrannidem , etiam sciens , quorum exerceretur perfidia , tuleris ? At ingemiscens Idomeneus : Nescis , inquit , quantas vires in regem desidiosum & inertem habeat fraudulentorum hominum , cùm eidem se permisit , astutia. Accedit , quòd (ut dixi) ratio nulla sit , qua tu ad salutem publicam uteris promovendam , quacum Protefilaus modò non conspiret.

Tum

Tum Mentor ad severitatem composito vultu sermonem revocans: Manifestum est, inquit, malitiam probitati à regibus anteponi. Argumentum ex te peto tragicum nimis. Equidem, quod ais, meo es illustratus consilio, ut rectè Protefilaum nosceres. At non es illustratus, quoniam adhuc imperare finis, quem nefas est vivere. Malos pares etiam esse faciendo bono, quis ignorat? Malum agunt utique sine molestia; neque enim aut stimulos habent ipsi, quibus nos ad meliora impellimur, aut dogma ullum virtutis, quo revocamur ab illicitis. Sed tamen & bonum quandoque agunt non inviti, quoniam ad id moventur pravitate, tum ut speciem consequantur virtutis, tum adiuventum minimè suspectum imponendi mortalibus ceteris. Et ut dicam, quod res est: capaces non sunt virtutis, tametsi videantur exercere virtutem. Noverunt autem sceleribus suis adiungere scelerum longè omnium scelestissimum, hypocrisin. Quodsi boni aliquid simpliciter & perseveranter decreveris: Protefilaus, ne spoliatur ornamentis suis, in societatem eius non recusabit venire. Quodsi autem vel umbra cum adverterit suspicionis, te posse à melioribus facilè consiliis dimoveri: næ ille curiosissimus erit, in antiquam te sylvam ut retrahat, pristinamque fallendi sæviendique licentiam recuperet. Potésne igitur honestum & tranquillum spiritum ducere, dum hæc pestis in ore tuo dies noctésque pender; dum fides, dum Sapiencia Philoclis in Samo te sciente profanatur tanta egestatis iniuriâ.

Nôsti, ô Rex, homines fraudulentos audacésque, cum præsentés sunt, facilè in animos influere
vitiis

vitiis obnoxiorum Principum; contra verò (quæ altera nec levior miseria regum) ex animis eorum non difficiliùs effluere virtutes & merita virorum absentium. Multitudo hominum, quæ circumfluit Principes, non finit eos firmiter reminisci singulorum. Illa duntaxat imprimunt animo, quæ & præstò & iucunda sunt. Ceteris haud onerant memoriam. Quæ autem virtutis sunt, vel minimè vel rarò insidere mentem sinunt, cùm ea non modò palpi nil afferant, sed mores etiam eorum redarguant. Cui igitur mirum sit non diligi Principes, cùm amplitudini suæ uni applaudentes præter illa, quibus delectantur ipsi, nihil sibi putent diligendum?

TELEMACHUS.

LIBER XIV.

HIs dictis Mentor Idomeneo suadebat, ut Protesilao & Timocrate dimissis Philoclem revocaret è Samo. Quòd ut ageret rex, nihil morabatur præter merum, quem ex Philoclis severitate conceperat. Fateor, inquiebat, quamquam mihi & charus & plurimi sit, aliquantum certè timorem ob reditum eius non possum abiicere. A teneris assuevi audiendis laudibus, summis ad gratiam amicitiamque meam aspirantium contentionibus, placendi denique largissimo studio; quæ quidem frustra ab homine illo expecto. Simul peccabam, simul tristi oris habitu consueverat me peragere reum. Solitarius congressus eius à reverentia modestiâque commendandus; at ieiunus, remissioris studii, & penè frigidus fuit.

Ecquid